Deo duce atq; auſpice!

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

ARGUMENTO ET

Cauſa in genere, cum ijs quæ ſequuntur de Efficiente in ſpecie:

Conſentiente & approbante Ampliſſimâ Facultate Philoſophicâ, in Regiâ Academiâ Aboënſi,

Publicè ad diſputandum propoſita

PRÆSIDE

M. ANDREA THURONIO

Log. Prof. Ord. & h. t. Collegij Philoſophici Decano:

Reſpondente

ERICO JOH. BININGIO Nericienſ. Beneficiario Regio.

Ad diem 17 Decemb. Anno 1659, In Auditorio Superiori, horis conſvetis.

ABOÆ.

Excuſa â PETRO HANSONIO. Acad. Typ.

Reverendissimo, Excellentissimo & Nobilissimo Viro *ac* Domino.

DN. JOHANNI M. Olio-qwist/ S. S. Theol. & Phil. Doctori celeberrimo; Diœceseos Strengnensis Episcopo dignissimo, Consistorij Ecclesiastici præsuli, Regijq; ibidem Gymnasij Ephoro gravissimo, Mecænati & patrono suo Magno, quovis honoris ac observantiæ cultu ætatèm devenerando.

Reliquis simul

Plurimùm Reverendis præclarissimis & Doctissimis

VIRIS ac DOMINIS,

Dn. LECTORIBUS atq; Consistorij ibidem **ASSESSORIBUS** accuratissimis cum **NOTARIO** Consistorij Ecclesiastici fidelissimo.

NEC NON

In tota & inclyta Nerikia

Reverend. Humanissimis, Doctissimis & Venerab. VIRIS,

Dn. Præpositis & Pastoribus dignissimis.

Dn. Sacellanis & Comministris vigilantiss.

Promotoribus, Fautoribus, benefactoribus & amicis suis perpetim colendis.

Exercitium hocce Logicum in gratam beneficiorum recordationem & spem uberioris promotionis favorisve submisse, officiose ac modeste dedicat litat & offert

E. BININGIUS.

INSTITUTIONUM LOGICARUM PARS PRIMA

De Terminis Simplicibus.

CAP. I.

DE ARGUMENTO IN GENERE.

THEOREMA. I.

ARgumentum est notio Logica simplex, ad arguendum Thema affecta.

Termini Logici, primam mentis humanæ operationem dirigentes sunt *argumenta*, quorum naturam & proprietates, hîc in prima Logicæ parte, auxiliante Deo, distinctiùs tradam.

Ad præsentis autem theorematis explicatam considerationem, duo sese sigillatim notanda offerunt: *Argumenti mi-*

ti nimirum ὀνοματολογία & πραγματολογία.

In *ὀνοματολογία* seu nominis explicatione, occurrit ejusdem I. *Origo.* Est autem *argumenti* nomen deductum ab *arguendo*, (quod verbum â Græco nomine *ἀργὸς* derivatum vult Herm. Log. Dieterich. ad hanc vocem, cum nonnullis alijs) notatione scilicet ab officio vel effecto argumenti petitâ.

II. *Varia acceptio.* Vox enim *Argumenti* significat 1. *Periocham seu summam alicujus operis*, quomodò dicimus, argumentum libri aut orationis tale vel tale esse. 2. *Occasionem seu materiam scribendi*, quomodô Cicero ad Attic. lib. 13. quod aliud argumentum epistolæ, nostræ, nisi collatio, fuit? 3. *Medium terminum in Syllogismo*, quo sensu, Ciceroni definitur in Topicis, ratio, quæ rei dubiæ facit fidem: & in Partitionibus oratorijs, probabile inventum ad faciendam fidem. In hoc

signi-

ſignificatu, ſæpiùs cum additamento argumentum tertium dicitur. 4. *Syllogiſmum ſeu argumentationem*, quomodo dicere ſolemus: tale eſt argumentum opponentis. 5. *Propriè & Topicè, notionem Logicam ſimplicem & incomplexam*: atq; ita adhuc dupliciter uſurpatur; 1. *Generaliter*, pro quocunque termino ſimplici, qui alium reſpicit, ſive arguat, ſive arguatur, eoque ſenſu à Ramo accipitur in definitione axiomatis. Lib. 2. Dial: c. 2. 2. *Specialiter*, pro ut terminum duntaxat arguentem deſignat, & Themati opponitur, quæ ſignificatio hujus eſt loci.

Ad multas etiam difficultates removendas, proderit hoc loco meminiſſe vocem argumenti, præter acceptiones modò recenſitas, duplici adhuc ſignificatione gaudere, 1. Νοηματικῇ, τεχνικῇ ſive formali, quâ notiones ſecundas ſeu titulos & genera argumentorum notat; 2. Πραγματικῇ, Φυσικῇ

ſive materiali, quâ res, argumentorum titulis ſubſtratas, vel, quod idem eſt, eorundem exempla deſignat.

Obiter monearis hoc loco, acceptionem hanc vocis Argumenti, Ramo & alijs recentioribus uſitatiſſimam, â nonnullis improbari, tanquam quæ nuſpiam â probato Authore ſic uſurpata inveniatur; Sed ſine ratione. Nam quia arguere non duntaxat, ſignificat probare, ſed etiam indicare & oſtendere, ut in Virgilliano illo: Æneid: 4. Degeneres animos timor *arguit*, & Ovidiano Lib:4. Triſtium: Apparet virtus *arguiturq;* malis, & ſæpè aliàs: immeritò argumenti nomen, quod ab arguendo deſcendit, ad ſolam quæſtionis probationem reſtringitur. Et ſi à nullo antiquorum hæc vox in iſto ſignificatu uſurpata extaret: non tamen propterea eſſet reijcienda: cum artifices, ut rectè monet Scheiblerus, habeant jus τῦ ὀνομαζοποιεῖν, præci-

pue

puè ubi evidens id neceſſitas requirit, & ratio non planè nulla eſt. Videſis Goclenium probl: Log. part: 1. probl: 10. prolixè & nervoſè hæc perſequentem.

III. Appellationes aliæ. Nam argumentum etiam dicitur. 1. λόγος id eſt ratio, per metonomiam cauſæ, quia â ratione excogitatur. 2. ὅρος, id eſt terminus, idque per Metaphoram â finibus, ſeu terminis agrorum deſumtam. 3. κατηγόρημα, â prædicando. Hæ tres appellationes argumento generaliter accepto competunt, & tertia quidem magis propriè partem enunciationis conſequentem deſignare videtur, tamen etiam generaliter non rarò uſurpatur. 4. Locus, locus Topicus, locus Dialecticus, locus inventionis. Locus Ciceroni & Boëthio definitur ſedes argumenti, utpote quibus argumentum eſt medius terminus in Syllogiſmo: atque ita locus idem

erit, quod in datâ definitione argumentum. Dicuntur autem argumenta loci per Metaphoram. Nam quemadmodum ex locis materialib⁹, quæ in illis repoſita ſunt depromi poſſunt: ita ex locis argumentorum, materiæ ad omnem ratiocinationem utiles, colliguntur.

In *πραγματολογίᾳ* ſeu ipſius Rei evolutione, attendendum eſt, 1. *Genus*, quod eſt *notio Logica*, quicquid hîc Ramæi oggerant, argumentum, utpote ſummum in doctrina inventionis genus, aliud ſupra ſe non habere. Aſſignato namq; generi omnes conditiones generis conveniunt: 2. *Differentia*, quæ ut explicatiùs evolvatur, ſequentia diligenter ſunt expendenda, quorum 1. *Eſt de voce Simplex.* 2. *de voce arguere.* 3. *de Themate.* 4. *de Affectione.*

Vox ſimplex in definitione data, adhibetur ad differentiam argumenti â notionibus complexis, axiomate Syllogiſmo & Methodo. Sunt enim ar-

gumen-

gumenta, ut Ramus loquitur, ſingulæ rationes, ſolæ & per ſe, citra diſpoſitionem conſideratæ. Quod autem, inquit Sluterus Anat: Log. Ram. cap. 2. argumentum complexè vel incomplexè enuncietur, id ei planè accidit; unde fit, ut unum idemq; argumentum, nunc complexè, nunc incomplexè proferri poſſit: ſi quis enim dicat: homo peccat, cauſam cum ſuo effecto diſponit, ubi duas iſtas notiones, ſimpliciter & incomplexè enunciari nemo diffitetur. Atq; eadem argumenta complexè ita diſponuntur: homo ad vitam æternam â Deo creatus, inſtinctu Diaboli peccavit, & â Deo defecit. Vide plura loco citato. & apud Scheib. Top. cap. 1. aliosq;.

Arguere præter ſignificationem forenſem, quâ idem eſt quod reprehendere vel accuſare, apud claſſicos Authores etiam indicare, oſtendere, probare ſignificat, ut ex virgilio & Ovidio

ſuprà probatum. Ita Ovid. inquit 2. faſt. vultu genus arguitur, & Horat. Lib. 1. Ep. 19. Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus. Languor arguit amantem idem Epod. 11. Hìc loci igitur arguere Logicè & generaliter denotat, reſpicere, afficere indicare, oſtendere, declarare, explicare, illuſtrare, confirmare, probare, demonſtrare, refutare: atq; ſic communem omnium argumentorum vim & facultatem, ſive in diſpoſitione ſive extra illam conſiderentur, complectitur. Arguit autem argumentum dupliciter: 1. *Vi propriâ tantùm & per ſe*, cum abſq; diſpoſitione conſideratum, nudo affectionis ductu thema ſuum reſpicit & oſtendit. 2. *Vi diſpoſitionis ſimul*, vel axiomaticæ, quâ Thema ſuum explicat & declarat, vel Syllogiſticæ, quâ quæſtionem probat. Ubi tamèn ſcias vim arguendi in argumento ſemper eandem eſſe, diverſam verò diſpoſitionem illi additam, uſum variare.

Thema

Thema eſt illud, quod argumentum arguit, & â Ramo in definitione argumenti voce aliquid indigitatur; de quo ſequenti theoremate paulò fuſiùs.

Affectio argumenti nihil aliud eſt, quàm ratio illa reſpectus ſeu aptitudo quâ argumentum ſuum thema arguit, de quâ ſequentia diſtinctè obſerva. 1. Omni argumento propriam & peculiarem arguendi affectionem ineſſe. 2. Affectionem hanc arguendi eſſe relativam & mutuam. Ubi cave, relationem putes intercedere inter argumentum & argumentum, ſed inter argumentum & aliquid quod arguitur. Nam exempla argumentorum in uſu ita accommodantur, ut quod in uno exemplo eſt argumentum, in altero viciſſim thema reddatur, unde ita inter ſe affecta argumentorum genera relata dicuntur. Dico, argumentorum genera, id eſt argumenta formaliter conſiderata relata, id eſt exempla relatorum eſſe. Unde colligere non licet unam

relatorum categoriam ſufficere, reliquos autem argumentorum titulos eſſe ſupervacaneos. Nam ipſa quidem argumenta relata ſunt; res tamen quibus hæ affectiones adjacent, cum rebus alijs collatas, diverſimodè ad illas arguendum affectas eſſe deprehendimus, ut ita alia atq; alia argumentorum genera & domicilia exiſtant. 3. Sicut abſq; affectione & aptitudine ad arguendum, aliquid argumentum eſſe nequit: ita rem aliquam pro varietate affectionis novum induere argumenti nomen. 4. Affectiones rebus, adjacentes eſſe, alias naturales, poſitivas & reales, quæ ipſam rerũ naturam ſequuntur: alias reſpectivas, notionales & formales, quæ ab impoſitione intellectus humani pendent, cujuſmodi ſunt argumenta. 5. Argumenta eſſe neq;. 1. res ipſas, harum enim cura ad diſciplinas reales pertinet; argumenta notiones ſecundæ ſunt. Neq; 2. Voces, Dialectica namquè ars rationis eſt, & abſq;

vocum

vocum aut orationis ad miniculo, munere ſuo ritè fungi potis. Sed 3. ut Dounamus loquitur lib: 1: Dial. c. 2, pag. 84. *res & voces*, quatenus ad alias arguendas affectæ ſunt, id eſt rerum vocumque ad alias affectarum notiones, ſive mente conſignatæ fuerint, ſive verbis expreſſæ, idq; ſive efferantur ſingulis vocibns, ſive pluribus comprehendantur. Argumenta igitur rationes ſunto.

II. *THEMA eſt res quæ âb argumento arguitur. Eſtq; vel ſimplex, quod ſine notionum complectione apprehenditur. Vel complexum, quod duabus pluribusve notionibus affirmatione aut negatione copulatis apprehenditur.*

Non hìc longis utar verborum amabagibus, ne ab inſtituto recedam; ſed rem in pauca conferam. Definitio thematis expoſitionis non indiget. Quod ad Diviſionem attinet tenendum

argu-

argumentum dupliciter conſiderari poſſe. 1. *Ratione propriæ & ſimplicis affectionis*, ſecundum quam ſemper unum & ſimplex thema reſpicit. 2. *Ratione uſus*, quomodo nunc ad indicandum & declarandum, ut in uſu Topico & Axiomatico: nunc ad probandum, confirmandum vel refutandum, ut in uſu Syllogiſtico, adhibetur. Atque hinc nata eſt Diviſio Thematis in ſimplex, quod argumento oſtenditur & explicatur: & complexum, quod eôdem probatur. Simplicitas autem thematis non eſt æſtimanda vocum multitudine, quippe cum quâ conſiſtere bene poteſt: ſed notionum in intellectu aut oratione affirmatione vel negatione. Prolixiùs de hiſce diſſerentes adi Timpl: lib: 1. Syſt. Log: c. 2. & Burgersd. Inſt. Log. lib: 1. c. 2.

III. *Argumentum eſt vel Artificiale vel inartificiale. Artificiale eſt, quod inſitâ ac propiâ ſuâ vi arguit.*

Ejus

Ejus ſpecies variæ ſunt, quæ diſtinctionis & ordinis cauſâ ad quatuor claſſes reducuntur.

Propoſita argumenti *in artificiale & inartificiale* diſtributio ex Ariſtotele deſumta eſt. Is enim 1. Rhetor. c. 2. τῶν πιστέων αἱ μὲν ἀτεχνοί εἰσιν; αἱ δὲ ἔντεχνοι. id eſt, ut interpretatur Fabius, *probationum aliæ Artificiales ſunt, aliæ inartificiales.* A quâ ferè non diſcrepat illa Ciceronis, quâ in Topicis & part: orat: dirimit argumentum in *inſitum & aſſumtum.* Ubi non cogitabis Artificiale argumentum id dici quod artis beneficio invenitur; inartificiale contrà quod artis planè expers eſt; ſed artificiale & inartificiale argumentum ſic dicitur ratione facultatis arguendi, quæ illi eſt interna ac domeſtica; huic externa & aliena.

Artificialis porrò argumenti ſpecies ad quatuor Claſſes cum Scheiblero revoco. Prima claſſis continet: Cauſam & effectum, ſubje-

subjectum & Adjunctum, Antecedens & consequens, connexa seu concomitantia & Relata: quorum duo priora paria Ramo dicuntur consentanea.

Secunda classis comprehendit Dissentanea, utpote Diversa & oppositorum species: ut sunt Disparata, Relativè opposita, Adversa, contradicentia & Privantia.

Tertia Classis est comparatorum; nempe parium, imparium, similium & Dissimilium.

Quarta Classis est Ortorum, ut sunt: Conjugata, Notatio & Notatum; Distinctio Nominis & Nomen Distinctum: Totum & Pars, Distributio & distributum, definitio & definitum.

His accidunt consensio vel dissensio: Affectio prima vel orta: absoluta seu simplex, vel comparata. Hinc argumentum 1. Aliud est *consentaneum*, quod cum themate arguendo consentit: aliud *Dissentaneum*, quod ab eodem dissentit. 2. Aliud *primum*, quod arguendi vim habet à

bet à se: Aliud *Ortum*, cui arguendi affectio aliunde derivata competit. 3. Aliud *Absolutum seu simplex*, quod thema citra comparationem arguit: aliud *comparatum* quod thema cum comparatione in uno tertio arguit. Ramus ejusq; interpretes, eodem quidem ordine (non numero) argumentorum genera tradunt; sed per varias subdivisiones, quas ego, ne Tyronibus difficultatem parerent, consultò omisi: quisquis verò easdem desiderat, adeat nominatos scil: Ramum, ejusq; commentatores. Quid de locis nonnullis Dialecticis, qui præter enumeratos ab alijs proponuntur, sentiendum sit, videsis apud Scheibl. Top. c. 1.

CANONES

Can: 1. Omne argumentum est terminus simplex. Ad hujus Canonis explicationem faciunt, ea quæ pag: 132. & 133. dicta sunt ad definitionem argumenti & thematis simplicis. De plenis comparationibus quæ hìc dubium movere solent, notandum

dum, eas vel in comparatione, vel extra comparationem considerari posse. Priori modò, cum simplicem conceptum menti sistant, rectè argumenta dicuntur, etsi extra rationem comparatæ affectionis, integra sunt axiomata.

Can. 2. Omnia argumenta sunt relata. intellige argumentorum titulos, non exempla. 2. Relationem non realem; sed rationis.

Can. 3. In quodcunq; resolvitur axioma vel Syllogismus, id est argumentum. Hinc Ramus: Axioma est Dispositio argumenti cum argumento.

Can. 4. Definitiones argumentorum Logicorum habebunt veritatem in rebus ipsis. Competunt autem rebus argumentorum definitiones, non pro ut res; sed pro ut argumenta sunt.

Can. 5. Una eademq; res pro diversâ consideratione, aliud atq; aliud argumenti nomen adscisscere potest. Sic homo respectu creatoris est effectum, respectu corporis materiatum, respectu animæ formatum, respectu Pulchritudinis, sanitatis subjectum, &c.

CAP.

CAP. II.

DE CAUSA IN GENERE.

THEOREMA

I. *Causa est argumentum artificiale, quod vi causationis, thema ut causatum arguit. Et quatenus ut causa consideratur: est principium influens in esse causati.*

Ut hujus theorematis ἐξήγησιν tutiùs aggrediar, in antecessum probandum est, de causa tractationem inter argumenta, & quidem hoc loco, suscipiendam esse. Prius quod concernit, scies considerationem causarum esse duplicem: Specialem scilicet sive in actu exercito; & generalem seu in actu signato. Illa disciplinarum est particularium: hæc iterum duplex:

1. πραγματικὴ, θεωρετικὴ, realis & scientifica, quâ formalis ejus ratio cum proprietatibus essentialibus inquiritur,

idque in Regina ſcientiarum Metaphyſicâ.

2. Νοηματικὴ, πραϰτικὴ, intentionalis vel notionalis, quâ notio ſecunda Logica conſtituitur, quatenus etiam in cenſum argumentorum Logicorum refertur.

Quod ut planiùs adhuc perſpicias, non ignorabis, ſicut res alias: ita cauſam quoq; quoad materiale in pluribus diſciplinis, ſuo cuiq; formali reſervato, conſiderari poſſe. Definit cauſam generaliter Metaphyſicus, definit etiam Logicus; ſed is ut rem, cujus formalis ratio in cauſatione, ſeu influxu in eſſe effecti conſiſtit: hic, ut argumentum, cujus formalis ratio in arguitione effecti tanquam thematis, ſita eſt. Ibi ſecundum propriam ſuam naturam atq; proprietates reales; hic ſecundum noſtrum cognoſcendi modum & prædicata notionalia, quatenus ad illuſtrandum effectum adhibetur, expenditur.

Quod autem primus Cauſæ locus inter

ter argumenta Logica assignatur, non omni prorsus ratione caret. Nam hic inventionis Logicæ locus, cum ceu mater est omnium aliorum argumentorum (nec enim notionem aliquam suscipere potest, quod causis suis nondum constitutum est) tum fons omnis scientiæ (τὸ διότι) scirique, ut habet Ramus, demum creditur, cujus causa teneatur, ut non immerito dicatur â Poëta:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Geminam porro Causæ definitionem in Theoremate trado: quarum posteriorem ex occasione duntaxat, declarandæ prioris tanquam hoc loco genuinæ causâ, recenseo: utraq; tamen brevis indiget expositionis. Et primòquidem definiti seorsim expendenda

1. *Etymologia. Causam* nonnulli dictam putant quasi *cavissam*, alij quasi *cautam*, utriq; â *cavendo*, notatione ab effecto petitâ. Nam circa res, quarum perspectæ causæ sunt, cauti sumus tutiq;, ad errores faciliùs declinandos.

2. *Homonymia.* Vox *Cauſæ* varijs modis accipitur. 1. *Generaliſſimè*, pro quovis argumento ſeu ratione, & hinc etiam quævis conditio, ſine quâ effectus fieri nequit, cauſa ſine quâ non dicitur: ſic amiſſio Tarenti fuit cauſa ſine quâ non recuperationis. 2. *Generaliter*, & etiam nimis latè apud Metaphyſicos, quandoque pro quovis principio; quô ſenſu Græci patres Deum Patrem dixere ἄιτιον i. e. cauſam Filij, citante Scheibl. Top. c. 2. n. 2. & Frommio Metaph. part. gen. lib. 2. c. 16. 3. *Apud Rhetores, pro themate*, quæſtione ſeu materia tractanda, unde quatuor cauſarum genera numerantur. 4. Apud Philologos, *pro occaſione, excuſatione, prætextu &c.* quæ videantur apud lexicographos. 5. *Nimis ſtrictè* apud Philoſophos, pro *ſolâ cauſâ efficiente*, quæ κατ' ἐξοχὴν cauſa eſt, ut in illa regula, Qualis cauſa talis effectus &c. 6. *Adæquatè pro eo, quod cauſalem influxum ad Effecti productionem largitur.* Quomodo

acce-

accepta viciſſim ſumitur: vel *realitèr*, ut in definitione poſteriore: vel *notionaliter*, quæ ſignificatio hujus eſt loci, & in definitione valet priori.

3. *Synonymia Grammatica*; Quod Latinis Cauſa, Græcis eſt ἄιτιον ἢ ἀιτία. Et ἀρχή, στοιχεῖον, ἀιτία, h. e. principium, elementum, cauſa, ſunt voces cognatæ ſignificationis. Burgersd. inſt. Logic. lib. 1. c. 15.

Genus in definitione cauſæ notionali eſt *argumentum artificiale*: quia cauſa ex ſeſe ſuum thema arguit (conſentaneum primum & ſimplex) Eſtq; genus hoc, miſſâ curioſâ vocum multiplicatione, ſatis accuratum & propinquum.

Differentia cauſæ propriam arguendi facultatem continet, quæ nihil aliud eſt, quam vis cauſationis ſeu influxus cauſalis, quâ cauſa reſpicit & arguit ſuum thema, velut cauſatum vel effectum, quod per talem influxum eſt productũ.

Realis definitio Cauſæ, quam etiam propoſitum theorema exhibet, propriè, per

ſe & directè ad Metaphyſicam pertinet: indirectè autem impropriè & per accidens ad Logicam, in quantum â vi cauſandi, facultas arguendi fluit & promanat. Definitur autem Cauſa realiter conſiderata per *principium* tanquam *genus*, eſt enim hoc latius: & omnis cauſa tale quid eſt, ut ab eo aliquid procedat, in quo formale principij ſitum eſt. *Influere autem in eſſe cauſati* hìc æquipollet phraſi illi in definitione Ramæa: *Cujus vi res eſt*, neq; ſolam efficientis actionem notat; ſed omne id, quod unaquæq; cauſa in ſuo genere confert ad eſſe Effecti, ſive ratione externæ productionis, ſive internæ conſtitutionis.

II. *Cauſæ ſunt quatuor: Efficiens, Materia, Forma & Finis. Ex quibus Materia & Forma internæ: Efficiens & Finis externæ dicuntur.*

Duo præſenti theoremate continentur ſigillatim dilucidanda.

Primum eſt de Cauſarum numero, quem, utut

utut nonnulli defectus, & alij vicissim redundantiæ arguunt, de quibus consulatur Scheiblerus & alij: ego tamen cum Aristotele, omniq; meliùs Philosophantium coronâ, retineo. Ad hunc autem causarum numerum stabiliendum, hac vice sufficiat ratio firmissima, ex generatione Physica cujusq; corporis naturalis petita, ad quam neq; plura neq; pauciora, quàm quatuor causarum genera requiruntur. *Nam omne corpus naturale est 1. Ab aliquo*, non enim existit â se ipso, & hæc est *causa efficiens*. 2. *Ex aliquo*, non enim potest generari ex nihilo, & hæc est *materia*. 3. *Per aliquid*, nam essentialiter ab alijs distinguitur, *& hæc est forma*. Et 4. *Propter aliquid* seu alicujus gratia, quia nihil fit frustrà. Et hic est finis. Plures rationes qui desiderat adeat Timpl. Metaph. lib. 3. c. 2. probl. 8. Scheibl. Topic. 2. num. 55. seqq. &c.

Alterum Theorematis membrum divisionem causarum in Internas & Externas exhibet: de quâ ne difficultas aliqua tibi

ſuboriatur, obſerva: *Internum & Externum dici, vel ratione eſſentiæ, vel ratione ſubjecti.*

Ratione Eſſentiæ Internum dicitur, quod eſſentiam rei ingreditur, eamq; ab intra conſtituit & componit: quomodò anima rationalis & corpus humanum interna ſunt homini: Externum verò, quod eſſentiam ratione conſtitutionis non ingreditur; quomodo parens eſt externus reſpectu filij.

Ratione ſubjecti Internum dicitur, quod etſi rem non conſtituit, eſt tamen intra eam, tanquam adjunctum. Ita virtus eſt interna homini. Externum verò, quod non eſt in re cui dicitur exterunm, tanquam ſubjecto interno. Ita veſtis dicitur Externa reſpectu hominis. *In allata diviſione, termini Internum & Externum intelligendi ſunt ratione eſſentiæ.*

III. *In unoquoq; autem Cauſarum genere eſt quædam ſubordinatio. Cauſæ ſubordinatæ ſunt, quarum una pendet ab*

det ab altera, Suntq; eſſentialiter vel accidentaliter ſubordinatæ.

Cauſæ eſſentialiter ſeu per ſe ſubordinatæ ſunt, quarum inferior pendet â ſuperiori in cauſando. Tales cauſæ per ſe ſubordinatæ ſunt Deus, ſol & homo in generatione hominis. *Per accidens ſubordinatæ ſunt, quarum una quidem pendet ab altera; ſed non quando aut quatenus cauſat.* Ita Pater ſubordinatur majoribus ſuis in generatione filij. Ita ſtatuarius ſubordinatur cœlo in efficienda ſtatuâ.

In tali porro ſubordinatione cauſarum, eſt *una cauſa proxima & immediata, cæteræ remotæ & mediatæ. Cauſa proxima* eſt, quæ non mediante aliâ cauſa ſui generis propinquiore, in eſſe cauſati influit. *Remota* è contra.

Ubi obiter nota, immediationem, ut loquuntur â Philoſophis conſtitui aliam ſuppoſiti, cum cauſa agit ſine intercedente alio ſuppoſito (eoq; vel tanquam cauſa principali, vel tanquam inſtrumentali) ut cum ignis urit: aliam vir-

tutis quâ causa agit, non intercedente alia virtute, tanquam principio agendi, quomodo calor calefacit, utraq; hic intelligitur,

IV. *In omni etiam causarum genere, causæ aliæ sunt totales, aliæ partiales.*

Causa Totalis est, quæ sola in suâ specie, totum effectum constituit vel producit. *Partialis verò*, quæ cum alijs causis suæ speciei juncta, effectum ex parte tantum constituit vel producit. Sic materia totalis gladij est ferrum; partialis materia panis est farina.

CANONES.

Can. 1. Omnis Causa prior est suo effecto. Ubi nota 1. Verum esse canonem de causa & effecto non τεχνικῶς & formaliter; sed materialiter & realiter consideratis, seu quod idem est de Exemplis causæ & effecti; ijsq; consideratis, non quoad esse relatum; sed absolutum. 2. Causa est prior causato vel reali existentiâ, vel in ratione causandi, quæ etiam intentionalis esse potest. ita finis

movet

movet efficientem, prout non dum est actu; sed in intentione. 3. Intelligendum hic est prius non tempore, sed naturâ & cognitione distinctâ. *Scias igitur prius dici variis modis. 1. Naturâ, quod in naturali essendi ordine antecedit alterum, sic sol est prior lumine, genus specie. 2. Tempore vel potiùs duratione. 3. Ordine vel enumeratione, quò pertinet id, quo Pater dicitur prima persona S. S.tæ Trinitatis. 4. Dignitate, ut Consul prior senatore. 5. Loco, quomodo prius est quod loco vicinius. 6. Cognitione eaq; vel confusâ, quomodo effectus est prior causâ, singulare universali: vel distinctâ quomodo causa prior effecto, singulare universali*

Can. 2. *Positâ causâ ponitur effectus.* Intellige canonem. 1. De causâ & effectu non absolutè; sed relativè consideratis. 2. De causâ, considerata non in actu Entitatis, sed in actu causandi. 3. De effectu, qui dicitur ἐνέργεια seu in fieri, non de effectu, qui dicitur ἐνέργημα, seu in facto esse. 4. De causâ particulari & proximâ;

non

non de universali & remotâ. 5. De càusa sufficiente, adæquatâ & totali; non de insufficiente & partiali.

Can. 3. Negatâ causâ negatur effectum. Valet Canon semper de causis internis: de externis verò quoad fieri, non quoad esse; nisi effectum continuè ab ijs dependeat.

Can. 4. Nihil est causa sui ipsius. Intellige canonem 1. Positivè, unde non obstat, quod Deus est â seipso negativè, quia non est ab aliqua causâ. 2. Simpliter; potest enim aliquid esse causa sui ipsius secundum quid, ut cum quis se facit doctum. 3. Secundum idem esse, aliàs finis in esse intentionali, est causa ut sit deinde in esse reali.

Can. 5. Causa est nobilior effecto. Procedit canon, 1. Si intelligantur omnia causarum genera simul sumpta. 2. Si causa sumatur in esse causæ, id est in influendo: & effectum in esse causati, id est in fieri.

CAP.

CAP. III.
DE
CAUSA EFFICIENTE.

THEOREMA.

I. *Efficiens, Græcè τὸ ποιοῦν, ποιητικὸν αἴτιον, τὸ γεννητικὸν καὶ τὸ κινῆσαν) est causa externa, à quâ effectum est.*

Cur efficienti primum inter causas locum assignem, rationes non difficulter adferri queunt. Nam 1. Inter species univocas ejusdem generis, ordo solet esse arbitrarius. 2. Efficiens est causa primò agens inter causas realiter moventes, adeoq; motus seu operationis principium, & ideò prior reliquis causis ordine naturæ generantis. 3. Doctrina causæ Efficientis, Theoriæ reliquarum causarum non parvam addit lucem, quarum causalitates ad illius causalitatis, tanquam quæ evidentissima est, similitudinem explicari solent.

Genus in definitione est *Causa Externa*,

Effi-

Efficiens enim non ingreditur effecti essentiam; sed ad extra, ratione productionis ad eam concurrit.

In differentia 1. Voculæ â quâ proprij efficientis characteres sunt, ejusq; causalitatem, veram scilicet actionem inferunt, quam in ipsâ definitione Frommius lib. 2. c. 16. p. 10. expressit hoc modo: *Efficiens est causa externa, â qua res est per veram actionem.* Nota: Licet particula A vel ab, nonnunquam ad quemvis respectum unius ad alterum significandum adhibeatur: in famosiori tamen significatu causæ efficientis nota est. 2. *verbum* est hìc, & omnes temporis differentias, & omnem efficiendi modum includit; ut sensus sit: â quâ res est, fuit vel erit, creando, generando, per emanationem vel transmutationem, per se vel per accidens, principaliter vel minùs principaliter

II. *Dividitur Efficiens variè: Primò. Efficiens est per se vel per accidens. Efficiens per se est quæ suâ facultate efficit. Estq; naturalis vel voluntaria.*

Multifariam phraſeos Per ſe uſurpationem in prolegom. Log. pag. 61. explicui: hic facilè apparet eam accipi ratione cauſalitatis. Definitur autem cauſa per ſe, quæ ſuâ facultate efficit, ſeu quæ ſuâ naturâ vel intentione & conſilio ad effectum ordinata eſt. Unde etiam talis cauſa per ſe agens vel naturalis eſt vel voluntaria.

Cauſa naturalis eſt, quæ ex ſolo naturæ inſtinctu, ſine ratione & conſilio effectum producit: Ad cauſam igitur naturalem pertinent duo illa actionis principia, *φύσις ἡ μὲν ὀρεκτικὴ, natura & appetitus.* Sic magnes naturaliter trahit ferrum: Apis mellificat: oculus videt: Hic ex occaſione diſtingvi poteſt ambiguitas vocis Naturalis, quæ diverſimode accipitur: nimirum prout opponitur. 1. Supernaturali, quomodo partus Hannæ naturalis eſt; Mariæ Virginis ſupernaturalis. 2. Fortuito, ita infans, qui eſſentiæ membrorumq; debitam integritatem habet, naturalis dicitur: monſtrum verò fortuitum. 3. Violento. Sic motus lapidis deorſum naturalis, ſurſum violentus eſt. 4. Artificiali, quomodo naturale eſt, quicquid arte humana non eſt productum. 5. Acquiſito, ita potentia videndi naturalis eruditio acquiſita eſt. 6. Ei quod non conſtat ex materiâ & formâ, ſic corpus Phyſicum dicitur naturale. 7. Animali & vitali, quomodo Phyſicis ſpiritus naturalis dicitur eſſe inſtrumentum facultatis nutritivæ. 8. Voluntario, quomodo cauſa ex neceſſitate naturæ agens naturalis audit, & ita hôc locò accipitur. Aliâs naturale dicitur 1. Eſſentialiter, idq; vel conſtitutive vel conſecutivè. 2. Subjective, quod intimè naturæ eſt inſixum. 3. Perfectivè,

quod naturam perficit, 4. Transitivè, quod cum naturâ propagatur, 5. Physicè, quod constat ex materiâ & formâ. 6. Metaphysicè omne id, quod non dependet ex operatione artificum.

Causa voluntaria est, quæ libere, cum ratione & consilio agit. Igitur duo illa reliqua rerum agendarum â Dounam in Dial. Ram. lib. 1 cap. 5. pag. 122. enumerata principia, scilicet προαίρεσις καὶ τέχνη i. e. consilium & ars huc sunt referenda. Exempl. Deus liberrimè creavit mundum. Diabolus avertit se â veritate. Faber format gladium.

Est autem *causa voluntaria* aliquando *plena & integra*, cum effectum producit voluntate simpliciter liberâ. ut David commisit adulterium, Aliquando *fracta seu mixta*, cum non voluntate planè liberâ; sed quadantenus vinctâ, & reluctante efficit: ut cum mercator ortâ tempestate, periculum mortis metuens, merces in mare proijcit. Tales actiones, etsi in ijs concurrunt, & quasi miscentur, invitum & voluntarium (unde etiam mixtæ dicuntur) tamen ab Ethicis pro Spontaneis & voluntarijs habentur.

III. Effi-

Doctrinæ morumq́ laudibus præstantiß. Juveni
DN. ERICO J. Binningh/amico,
sympatriotæ & consangvineo perdilecto thesium harum propugnatori dexterrimo

Qui cupit excelsum doctrinæ scandere culmen,
Incumbet literis mente sagace bonis.
His ritè assensum præbes doctissime Binningh/
Artes dum vigili sedulitate coles.
Lætor, & ex totis nunc tecum gaudeo venis,
Optans ut summus, te juvet ipse Deus.

Sinceri affectus ergo gratulabatur
SIMON S. KEXLERUS
Publ. Prof. & Pijkens. P.

Queis deditus studijs, quas versas pectore curas,
Nocte dieq; vigil: Pol patriota doces.
Audens subtilem causarum tangere chordam
Discursu: Doctum hinc annumerare choro.
In sophiæ vix est cyclo præstantius amplo
Quo juvet ingenij dona referre sui.
Sedulus in studio hoc pergas doctissime Binningh/
Augur ero certus præmia digna sequi.

His paucissimis amico & conterraneo suo perdilecto, de progressu in studijs animitùs gratulari voluit
JOHANNES FRAXENIUS
Nericiensis.

Non

NOn datur en cuivis de cauſſis dicere cautè
(Judicio doctorum hoc opus hic labor eſt)
Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Judicio eſt ejus, ſcriptum opera atq́; Dies
Qui nobis liquit cum ſedulitate legendum
Fructus quippe bonos omnimodoſq́; dabit.
Aſt quî felicem cauſarum cognitione
Inſtructum, vocitet, noſcere diſcupio ?
Nonnè quod hinc menti decus id ſapientia ſurgat
Quam petiere homines ſollicitè uſq́; boni
Hactenus ergo bonus Tu es quod ſecteris eandem
Sisq́; precor porro ſedulus atq́; bonus !

Amico ſuo arctiſſimo ac fratri jucundiſſimo gratulabundus accinebat

LAURENTIUS S. COLLINUS
Wermland:

E*Logijs* R*utilant* I*ta* C*ulmina* V*era* S*opho-rum!*
I*o*! O*men* H*onoris* A*git* N*æ* N*omine* I*ungere* S*olers* :
Binningh J*d* N*ôras*, N*ec* J*am* N*arrare* G*ravaris*.
N*ominis* E*logium*, R*eor*, I*n* C*auſâ* I*ndigitandâ* V*ota* S*onare*.

Eidem Præſt:mo Dn. Reſpondenti in conſtantis amicitiæ mnemoſynon συμβολικῶς approperavit.

SALOMON Enebergh NYCOPENSIS.